QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM
DIE IOVIS XVII. MENSIS IANVARII.

M. GVILLELMO DVVAL Doctore Medico & Professore Regio, Moderatore.

746

An Insaniæ ab Amore ὑπώπτηξις?

REVRVM summam & imperium Amor tenet, vniuersæ naturæ coæuus, imò & eâ prior, antiquior, augustior, πρεσβύτατος, πρωτόγονος, κυριώτατος, παμβασιλεὺς, vbique mouens, vbique vincens ac vinciens omnia, disponensque suauiter mirabili ordine, sapientiâ, venustate; vnde mundi Archetypi gloria, Angelici splendor hierarchicus, & corporati decus ac pulchritudo è contrariorum amicitiâ & discordi consensu, καὶ ἐκ τῶν ἐναντίων χειὰν ὁμολογίας, καὶ τῆς ἰσομοιρίας consurgens, ipsius amoris triumphus & voluptas. Quippe amor hic minimè cœcus, vtpotè architectonicæ Sapientiæ comes, ἀρχὴ καὶ ἄτιον ἀγαθῶν, in Deo est, à Deo est, ipse Deus est, ὁ θεὸς ἀγάπη καὶ φιλανθρωπος, qui vt vniuersa creauit propter semetipsum, sic mundum ita dilexit, vt ineffabili mysterio filium suum vnigenitum daret, per quem & facta, & restituta sunt omnia. Ab hoc amoris παγκράτορος fonte & diuinâ amandi arte ac lege, quam æterna sanxit Sapientia, orta instituatque entia, bonum, amant, appetunt, prosequuntur pro suo quæque modulo; naturæ impetu alia, alia auspicijs sensus, opinionis, rationis. Hinc amor vt appetitus, triplex; naturalis, qui res etiam inanimes mouet ad bonum, cognitionis propriæ expers, vix ideo dignus amoris nomine, sensitiuus, qui animalia; rationalis, qui homines, quos tamen occupat rapitque non rarò sensitiuus, vt rectæ rationi, sic & sanitati sæpiusculè repugnans. Vt enim humani verique amoris obiectum est, τὸ καλὸν bonum, pulchrum, & honestum, vnde ἀρετὴ καὶ εὐδαιμονία κτῆσις, quâ verè sani sumus & fœlices: sic sensitiui in homine, malarumque appetitionum, obiectum est bonum sensibile, à phantasia apprehensum, honesto sæpius aduersum, vel ἔνδολον τοῦ καλοῦ, ideoque verè malum; vnde amantium hominum calamitas, quâ si efflictim amant, depereuntque amasias, insani fiunt, amentes, ægri, infœlices, perturbatis læsisque humorum ac spirituum assiduo ac vehementi motu, æstuque sanguinis, animi & corporis functionibus, quas vt emendat Theologia diuinis legibus, componit Ethica moralibus præceptis, sic & Medicina iis maximè restituit auxilijs, quæ animo quietem, καὶ εὐθυμίαν, corpori temperiem ac refrigerium benigniùs concilient.

AB animo morbi ferè omnes in corpus influunt, vt à corpore vicissim subeunt in animum iure τῆς συμπαθείας & informationis, quâ maior vnio nulla est. Reuerà animi mores, vitia, virtutes sequuntur corporis temperamentum; ἠθοποιὸν γὰρ τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν, affecto malè cerebro, siuè ab obstructione ventriculorum, vt in apoplexiâ, quam omnis humor committit, & epilepsiâ verè sacro morbo; siuè ab intemperie feruidâ, vt in phrenitide, quam risus securam nuntiat; frigidâ, vt in melancholiâ, quæ migrat in epilepsiam quartanæ spolium; mens oblæditur & deficit, vt Sol in eclipsi, non vt Luna: sed ægrotante mente, vbi scilicet peccat animus nimiùm philosophando, diutiùs meditãdo, cogitãdo intentiùs, impensiùs amãdo, impotentiùs appetẽdo, aut quiduis præter rectã rationẽ intẽperanter ac pertinaciùs agẽdo, ægrotat & corpus, cuius malis ipse animus ægriscit adhuc ac peius habet. A nimiâ contemplatione, studiis pertinacibus, præsertim nocturnis, ab omni mentis contentione vehementioti, imò & cogitatione à cibo cerebrum malè afficitur, & viscera nutritionis. Hinc cephalalgiæ, vertigines, deliria, catarrhi, ophthalmiæ, flatus, cruditates, mactitudo, pallores, ecstases, quibus studiosi sunt obnoxij, & cogitabundi omnes, quorum, piorum licet, raptus non semper nisi idiotis sunt miracula. Et imaginatio, quia rationi proxima, si fortis est & prompta, facit casum, fœtum figurat, membra frangit. Ab appetitu verò lasciuienti, & pathematis vehementioribus, quæ sunt ipsius animi vitia & ægritudines, quò frequentiora, & pluribus partibus ac nobilioribus hepati, cordi, cerebro altiùs insidentia, ipsique animo nocentiora, eò etiam grauiora emergunt symptomata, illa (inquam) ferè omnia, insuper & ἀπορεξίας, ἀπεψίας, palpitationes, vigiliæ, furores, conuulsiones, stupores, febres.

GRAVISSIMVS ideò affectus effrænis & impurus amor, & homini diuino animali, καὶ θεῷ ὑπηγίῳ prorsum iniurius, quem bonis omnibus miserabiliter spoliet animi, corporis, fortunę, adeòque omni exuat arceatuè fœlicitate, quæ est mens sana in corpore sano; sapientia scilicet & virtus, actusue animi virtute vtentis, ὃν βίῳ τελείῳ, εὐθυμίᾳ, εὐεξίᾳ, εὐτυχίᾳ, quarum loco reponat malus hic genius, πάνδημος ἔρως, illi diuino καὶ θερμίῳ virtutis amatori, rectæque rationis assectæ aduersarius, desipientiam, maniam, siue insaniam aut furorem, maleficia, philtra, quamquam futilia, nefandas libidines, rixas, curas, angores, odia, iras, lycãthropias, spasmos, maciem, fœdos colores, παλμὸς. febres, deliquia, mœstitiam, metum, vltroneam cædem, vt cùm adsestrices habeat melancholicas affectiones, δυσθυμίαν καὶ φόβον, vrat verò furatque sæpius Melancholia erotica, modò ἐρωτομανία, furor amatorius, insania ab amore & melius nuncupetur, furiosum videlicet delirium ab amoris excessu contractum: quòd interim ferum fœdumque πάθος è concupiscenti appetitu natum, pulsu proprio, vt alia, distinctum, tot ideò tantisque malis amantes cruciat & obruit, quòd sit omnium veluti princeps ac tyrannus, eorumque idcircò vires & copias pro sua summâ potestate vocet in subsidium, & falsas præterea bonĩ malique opiniones, ac de errantis phantasiæ temeraria iudicia sectetur, potiùs quàm monita prudentiæ, aut consilia rectæ rationis.

ENIMVERÒ vt veri amoris diuinâ & naturali lege, quæ invero bono benè amando posita est, stant florentque omnia, quòd veri amoris est imperium; sic ab ea lege si quid deflectat, perit, quæ est spurij amoris anarchia & tyrannis. Ideò si pro naturæ lege, quæ præstantiori tribuit principatum, animo despoticè imperanti corpus deseruiat vt organum, & vt hero seruus; si menti rectæque rationi (quæ vt Rex vel Magistratus ciui, sic sensitiuo hominis appetitui quasi viua lex imperare politicè debet) ipse obtemperet appetitus, bene est. Atque id prudenter curat μετριοπάθεια, quæ suo moderamine frænat pathemata, eaque rationi subiicit, hinc mens sana in corpore sano. Quòd si rebellis appetitus rationis iugum insolenter excutiat, iustumque detrectet imperium, actum de homine est, quem & belluam, & morborum mancipium faciunt pernicaces ac insanæ cupiditates; siuè eas quasi feras è latibulis emittat δύναμις ἐπιθυμητικὴ in corde & hepate residens; vnde amor, odium; desiderium, fuga, gaudium, tristitia ex apprehensione boni vel mali sensibilis ἀπλῶς; siuè θυμοειδὴς, cuius sedes eædẽ; vnde audacia, metus, spes, desperatio, ira ex imaginatione boni vel mali, vt arduum est. Atque vt ex singulis graues noxæ in hepate, corde, cerebro ab intemperie diuersâ; vt à tristitiâ macies, deliria melancholica; ab irâ furores & febres, à gaudio vt & risu, à repentino etiã motu mors repentina; ab alijs aliæ: sic ex vno amore existunt penè omnes, qui pro suo iure cæteras passiones in sua vota trahat, adeòq; omni intẽperie, siccâ maximè & calidâ totum corpus afficiat, sãguinem adurat, malignâ atraque bile & tetrã anathymiasi cerebrum inficiat; vnde iuges vigiliæ, anxietates & manica deliria.

SIT pax rebus, quæ hîc erit animi & corporis panaces. Curas, perplexas cogitationes, animi perturbationes, vigilias, deliria, furores, vt & sitim, & lassitudines sanat somnus, ille recreator corporum, redintegrator virium, pacator operũ, medicus laborum, primi sensorij amica quies, vinculum & carcer suauissimus sensuum externorũ irrigũ humiditate blandisque vaporibus cerebrũ demulcẽs, viscera instaurans, humorum morũque feritatem emendans, fumos reprimẽs, bilis prouentũ arcens, pater εὐεξίας, εὐσαρκίας, εὐχροΐας, εὐθυμίας, dignus ideò Pasitheâ, pueris & pituitosis frequẽtior, senibus, biliosis, melancholicis, maniacis rarior καὶ πολυόνειρος, adeò naturæ amicus, vt si ei laboranti, siuè animo, siuè corpore, succurrere nequeat, vitæ imminet periculum. Ideò huius conciliandi Medico perpetua debet esse cura, etiam in morbis contagiosis, ad quos & amor pertinet: Enimuerò amoris insania vt colloquijs honestioribus curanda est, ac virtutis cultu, sic maximè diæteticis humectantibus & refrigerantibus, balneo, quiete, aquæ potu, hordeatis, amygdalatis. Sed mentis furor, feruorque & copia sanguinis vrgebunt interdum sectiones arteriarum, basilicarum, saphænarum, hæmorrhoidum, quæ superuenientes maniam & melancholiam soluunt, vt maniam ecstasis, cuius est incrementum. Conferent & atræ bili cathartica, blandiora sæpiùs, non emetica, vehementioia rariùs, vt melampodium cum lapide lazuli. His si accedant frequentiora somnifera, vt theriaca, laudanum; seu ea somnum ὑπανάγαυδον cieant, dicunturque ὑπώπτηξις, temperata, frigida, sed humida maximè, vt vinum aquâ obrutum, viola, lactuca, nenuphar, seu δυσόγαρτον, vt καρώτικα, qualis est mandragora; seu denique cum stupore coniunctum, vt καρκώτικα, quale est opium; certè indomitum alioquin amorem medica therapia edomabit, deque prophano numine gloriosè triumphabit.

Ergo Insaniæ ab Amore ὑπώπτηξις. 192

Proponebat Lutetiæ GILBERTVS PVYLON Aruernus, Anno R. H. M. DC. XXX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Vrbanus Bodineau.	*M. Guillelmus du Pré.*	*M. Guillelmus de Vailly.*
M. Antonius Suart.	*M. Philbertus Morisset.*	*M. Claudius Geruais.*
M. Remigius l'Euesque.	*M. Iacobus Cornuty.*	*M. Franciscus Guenault.*

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

By coincidence Guenaut is referred to as Gabriel Duval in a quary Bibliothèque de la Médecine p. 204.